



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Milvs Ep. Mart. 4. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

scusque odorem virtutis semper spiret. Porro Ben-  
 vocus Martyris caput ad latronem asportavit, ut  
 in eo velut speculo facinus suum & videret &  
 fleret. Cæcum morti in eo loco devovit, & WE-  
 NEFRIDAM, juncto cum corpusculo capite, vitæ  
 reddidit. Et Cadoci quidem ajunt etiam corpus  
 disparuisse, (Orco nimirum cum animâ tumulan-  
 dum) WENEFRIDAM verò in virtute tam doctam  
 virginibus cæteris Witheriaci magistram datam  
 fuisse; illic miris multis illustrem ultimò concu-  
 biâ nocte ab ipso Christo sponso ad nuptias evo-  
 catam abiisse. Ad has quid nî Mariani etiam vos  
 itis? Ite, & si vox virgo vobis est, Hymenæum  
 (licet) canite. *Ex Surio.*

*Quid sit mundana dignitas & honor, apparet in  
 pulvere; potestas & gloria cognoscitur in cinere; la-  
 scivia autem incontinentium & petulantia demer-  
 gentur in barathri carcere. S. Laur. Iust. ligni vi-  
 tr. c. 5.*

S. MILVSE P. MART. 4. Novembrii.

MILVS Persa cogitabat stipendia sub rege fa-  
 cere. Sed cælum sibi auctoratum ad sua signa  
 compulit, postquam horrido viso objecto, ostendit  
 quàm malè ad tyrannum mundum fugitivi  
 homines à DEO transiremus, et si tot stigmatibus,  
 quot beneficiis ab hoc notati. Nec diu Christo  
 militavit, cum Pont. inauguratus ordines inter  
 Christianos cœpit ducere. Sed non tam multæ  
 gravesque illi cum hoste, quàm cum domesticis  
 pugnæ fuerunt: quamvis quæ pastorem noluerunt,  
 perierunt deinde oves, urbe & vitâ amissâ; quod  
 ipsum bonâ fide illis, sed non sine lacrymis MILVS  
 vati-

vaticinatus est. Alteri etiam Episcopo impendentem à caelo vindictam prædixit; cumque ille non audiret, verborum tonitrua fulmen excepit, & surdas aures correxit. Virum principem gravi ægritudine decumbentem, admotis non manibus, sed precibus absens curavit. His atque aliis adduxit longè plurimos, in Christi leges ut jurarent; sed non regem etiam, qui multis suppliciis excruciatum MILVM ferro devovit, & carnificis munus cum fratre divisit. Hos quoque semianimis Divus appropierantem Nemesin iussit cavere. Nec nisi diem hæc absuit. Postridie enim, dum ambo cervum fugientem jaculo insequuntur, ambo exerant, sed mutuis se vulneribus fratres conficiunt. I, feram cæli vindictam memora, quando cervo & jaculo ocyor venit. *Ex Menais.*

*Quidquid aliis accidit, tibi accidere potest: quia homo es: homo de humo, limus de limo, terra es, & de terrâ vivis, & in terram reverteris, quando veniet dies ultima, qua subitò veniet, & forsitan hodie erit. S. Bern. in Medit.*

## S. CAROLVS BORROMÆVS.

4. Novembris.

**E**Rubescit, puto, ad CAROLI purpuram omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustriſſimo parente aliter quàm in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infulâ insignis Parochorum vitam ipse inspicere, ipse morbidas oculos curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hæc illi animarum pastores, qui suam nunquam numerant, qui neque poverunt gregem? Atqui ille, quæ diximus, tunc fecit.